

FLORA.

61. Jahrgang.

Nº 16.

Regensburg, 1. Juni

1878.

Inhalt. W. Nylander: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam. — Dr. Arthur Minks: Das Microgonidium. (Fortsetzung.) — J. B. Keller: Einiges über Rosen. — J. B. v. Keller: Herbarium rosarum austriacarum. — Dr. G. Leimbach: Bitte.

Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio tricesima. — Exponit W. Nylander.

1. *Collemopsis coracodiza* Nyl.

Thallus fuliginеus tenuis sublaevis, conferte rimosus; apothecia nigra lecanorea plana (latit. 0,2—0,4 millim.), margine thallino integro cincta; sporae 8nae incolores subglobosae, longit. 0,010—14 millim., crassit. 0,009—0,011 millim., epithecium lutescens. Jodo gelatina hymenialis dilute coerulescens, dein lutescens.

Supra saxa granitica saepe inundata rivi la Vienne (E. Lamy).

Species facile distincta. Apothecia prominula. Thallo continuo mox differt a *C. frustulosa* Anzi Langob. no. 388.

2. *Pycnothelia apoda* Nyl.

Thallus albus vel albidus, tenuis, tenuiter granuloso-crustaceus (passim parce podetia proferens abortiva parva erecta ellipsoideo-vesiculosa vel subgranuliformia); apothecia (omnino sessilia in thallo) ferrugineo-rufa vel rufo-ochracea, opaca, plana;

immarginata vel convexula (latit. circiter 0,5 millim.); sporae fusiformi-oblongae, longit. 0,007—0,010 millim., crassit. 0,004 millim., paraphyses mediocres, epithecium rufo-fuscescens. Jodo thecae praesertim coerulescentes, dein lutescentes et apice obscuratae.

In Gallia media, Cher, in ericetis (Ripart); in Hibernia ad Kylemore (Larbalestier).

Forsan subspecies *P. papillariae*, sed apothecia sessilia in thallo basali et saepe aggregata. Thallus K. flavens. Res maxime singularis in hoc Lichene est, spermogonia in hymenio inclusa vulgo occurrere, absque ullo conceptaculo distincto; spermatia arcuatula, longit. 0,008—0,012 millim., crassit. 0,0005 millim.

3. *Lecanora immersata*¹⁾ Nyl.

Esse possit status *L. exiguae*, cui subsimilis, sed thallo cinereo tenui vel tenuissimo, continuo, apothecis subinnatis, margine thallino cingente tenui. Sporae longit. 0,011—16 millim., crassit. 0,006—8 millim. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein subvinose fulvescens (thecae praesertim tinctae).

Supra saxa silicea immersa in Prussia prope Berent (Ohlert) et in Gallia in rivo la Vienne (Lamy).

4. *Lecidea badio-pallens* Nyl.

Thallus badio-pallidus areolato-diffractus, sublaevigatus (crassit. circiter 0,5 millim.); apothecia innata subangulosa (latit. 0,5 millim.), marginatula, intus pallida; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,013—16 millim., crassit. 0,008 millim., paraphyses gracilescentes, epithecium fuscum, hypothecium incolor. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose rubescens.

Supra saxa vulcanica in Mont-Dore (Lamy).

Species affinis *L. athroocarpae* Ach. et *L. atrofuscescenti* Nyl., reactione medullae I + conveniente, sed differens praesertim thallo et magnitudine sporarum.

5. *Lecidea instratula* Nyl.

Thallus fuscus vel fusco-niger, subnitidiusculus, laevigatus, tenuis, areolato-diffractus, hypothallo nigro instratus; apothecia

¹⁾ Quum adest verbum *mersare*, admittendum etiam sit *immersare*.

nigra innata plana (latit. 0,2—0,4 millim.), immarginata; sporae 8-nae ellipsoideae, longit. 0,008—14 millim., crassit. 0,004—5 millim., epithecium obscure coerulescens, paraphyses mediocres, hypothecium incolor. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose rubens.

Supra saxa quartzosa in montibus Mont-Dore, la Bourboule (Lamy).

Est species e stirpe *L. fuscoatrae*, prope *L. fuscoatratam* (Flora 1875, p. 301) locum habens. Thallus Ca Cl non reagens, nec iodo medulla. Apothecium singulum in fere quavis areola thallina. Thecae pyriformes. Spermogonia non visa.

6. *Lecidea declinascens* Nyl.

Similis *Lecideae declinanti* et vix nisi ejus subspecies, differens praecipue paraphysibus non articulatis (apice coerulescenti-nigricante). Sporae longit. 0,010—14 millim., crassit. 0,005—6 millim. Jodo gelatina hymenialis bene (cum thecis) coerulescens, coerulescentia persistente (vel thecae variantes subviolascens).

Super saxa micacea in alpinis Tyroliensibus (F. Arnold) et Hungariae (Lojka) et Pyrenaeorum.

Paraphyses quidem obsolete articulae, sed non ita distincte ut in *L. declinante*¹⁾. — Haec ecrustacea datur in Arn. Exs. 716. — Occurrit forma etiam ferrugine colorata (*ochromeliza*). Datur in Arn. Exs. no. 553. Spermatia ei longit. 0,007—0,011 millim., crassit. 0,0007—0,0008 millim. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein thecae violascentes.

L. declinascens var. *subterhuescens* distinguitur hypothecio in colore vel subincolore (analogia ita est var. *subterhuentis Lecideae declinantis*). Jodo gelatina hymenialis coerulescens, deinde thecae violascentes. Spermatia longit. 0,010—14 millim., crassit. 0,0006 millim. Etiam thallo ferrose colorato obveniens. In alpinis Tyroliensibus (Arnold).

7. *Lecidea decolor* Arn. Exs. 679.

Est omnino (etiam reactionibus omnibus) *L. promiscua*, sed differt sporis turgidioribus, longit. 0,010—14 millim., crassit.

¹⁾ In *L. declinante* Nyl. notam optimam sistunt paraphyses articulae. Datur in Anzi Langob. no. 358 A. Distinguenda quoque sit ejus var. *subterhuens* hypothecio in colore vel subincolore, qualis in Scandinavia raro occurrit. Eadem ferrugine colorata datur in Arn. Exs. 468 (dicatur f. *ochromelaena*.)

0,005—7 millim. Paraphyses gracilescentes vel submediocres apice incrassato fusco vel fusco-nigrescente (acido nitrico rosello-reagente). Jodo gelatina hymenialis coerulescens, thecis sub-violascentibus.

Super gneissum et mica-schistum in alpbis Tyrolensibus (Arnold).

Affinis est arcte *L. declinanti*.

8. *Lecidea chrysoteichiza* Nyl.

Thallus murinus tenuissimus opacus continuus; apothecia nigra plana, crasse marginata (latit. circiter 0,7 millim.), intus concoloria solum strato hymeniali albicante; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,012—15 millim., crassit. 0,007—8 millim., epithecium fuscum, paraphyses graciles, hypothecium crassum luteo-fuscum parte subhymeniali fusca. Jodo gelatina hymenialis intensive coerulescens.

Supra saxum quartzosum prope urbem Limoges (Lamy).

Affinis est *L. chrysoteichae*, hypothecio etiam K violacee purpurascente, sed sporis majoribus jam distat. Hymenium altit. 0,1 millim.

9. *Lecidea conioptiza* Nyl.

Vix differt a *L. coniopsi*, nisi thalli granulis planiusculis (saltem planioribus) et subconcretescentibus. Sporae longit. 0,010—15 millim., crassit. 0,006—9 millim.

Supra saxa gneissacea prope Châluçet in regione Lemovicensi (Lamy).

Forsan subspecies *L. myriocarpae*. Thallus diffractus.

10. *Lecidea thiopholiza* Nyl.

Thallus sulphureus granulosus (crassit. fere 0,2 millim.) vel subsquamuloso-granulosus, firmus, subimbricatus, ambitu nonnihil crenato-effigurato; apothecia nigra opaca (latit. 0,8—1,3 millim.), margine demum evanescente, intus obscura; sporae 8nae fuscae oblongae 1-septatae, longit. 0,020—28 millim., crassit. 0,006—9 millim., interdum curvulae, epithecium fuscum, paraphyses mediocres discretæ, hypothecium nigricans. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, deinde cum thecis vinose rubescens.

Supra muscos in la *Bourboule* prope Mont-Dore (Lamy).

Species e stirpe *Lecideae disciformis* insignis. Thallus Ca Cl erythrinose reagens. Thallus forma fere ut in *L. syncomista*.

11. *Lecidea demarginata* Nyl.

Saltem subspecies videtur *Lecideae expansae* Nyl., thallo albedo vel cinerascens, tenuissimo, subleproso; apotheciis convexis (analisi congruis).

Saxicola in Europa late distributa, vidi enim eam in Fennia lectam (a Norrlin) et in Hibernia (a Larbalestier).

12. *Lecidea rusticella* Nyl.

Thallus ochraceo-albidus (ferrugine ita tinctus, typice sit cinerascens), tenuis, subleprosus; apothecia nigra opaca (latit. circiter 0,25 millim.), convexa, immarginata, intus obscura; sporae 8nae suboblongae simplices, longit. 0,006—9 millim., crassit. 0,0025—0,0035 millim., paraphyses non discretae, epithecium et hypothecium fusca vel fusciscentia. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens vel vinose subrubescens.

Supra saxa micaceo-schistosa ferruginosa ad Kylemore (Larbalestier).

Comparanda cum *L. rustica* (Flora 1866, p. 371), a qua differt, mox thallo alio et sporis minoribus. Variat hypothecium dilutius.

13. *Opegrapha xanthodes* Nyl.

Thallus flavidus vel flavo-cinerascens, tenuis, sublaevigatus, rimosus; apothecia nigra oblonga (longit. 0,4—0,8 millim., latit. vix 0,2 millim.), epithecio rimiformi; sporae 8nae fusiformi-oblongae 3-septatae, longit. 0,015—18 millim., crassit. 0,005—6 millim., hypothecium (cum perithecio) nigricans. Jodo gelatina hymenialis vinose fulvo-rubens.

Supra saxa quartzosa ad Kylemore (Larbalestier).

Species notis allatis facillime dignota. Spermatia recta, longit. 0,004 millim., crassit. non 0,001 adtingentia.

14. *Arthonia caesiolivens* Nyl.

Thallus albidus, tenuis vel tenuissimus, subleprosus, saepe dispersulus; apothecia livida caesio-pruinosa rotundata tenuia

plana (vel variantia subconvexiuscula), immarginata (latit. 0,4—0,7 millim. vel etiam minora), intus obscura; sporae 8 nae incolores oblongae 3-septatae, longit. 0,015—17 millim., crassit. 0,0045—0,0055 millim., hymenium cum hypothecio lamina tenui ochraceo-rufescens, epithecium nonnihil obscurius. Jodo gelatina hymenialis vinose fulvo-rubescens.

In Finlandia, Lammi (Leopold), super corticem alni.

Species omnino distincta. Thallus nec K, nec Ca Cl tinctus; neque lamina tenuis apothecii K reagens. Pertinet haec species ad stirpem *A. mediellae*, sed comparetur potius cum *A. bifirmi* Flk., apotheciis nigris albo-velatis etc. differente. Gonidia simplicia, demum magna (usque ad diametrum 0,03 millim.), pariete crassulo subpapillato et granulis contenti virentibus aureisque immixtis (ita fere chrysogonidia). — Notetur, Arthonias, quarum thallus haplogonidiis instructus est, subgenus fere proprium sistere; dici tum possit *Allarthonia*.

15. *Verrucaria subinumbata* Nyl.

Similis *V. inumbatae* Nyl. in Flora 1864, p. 355, sed differt (facile solum ut subspecies) sporis minoribus, longit. 0,022—30 millim., crassit. 0,015—18 millim.

Supra saxa micaceo-schistosa ad Kylemore (Larbalestier).

Thallus cinerascens tenuissimus vel subevanescens. Apothecia in verruculis thallinis fuscescentibus (latit. circiter 0,5 millim.).

16. *Verrucaria elachistophora* Nyl.

Thallus albus inaequalis rimoso-diffractus (crassit. circiter 0,5 millim.), forsan alienus; apothecia (forsan parasitica) nigra (latit. circiter 0,15 millim.), pyrenio integre nigro, supra impressulo, parum emersa; sporae 8 nae incolores oblongo-ellipsoideae simplices (vel interdum spurie uni-septatae), longit. 0,007—8 millim., crassit. fere 0,0035 millim., in thecis angustis superius angustatis, paraphyses mediocres. Jodo gelatina hymenialis non tincta.

Supra saxa quartzosa ad Kylemore in Hibernia occidentali (Larbalestier).

Species peculiaris facile parasita. Thallus K flavens. Per tineat forsan ad stirpem *Verrucariae epidermidis*.



Observationes.

Parmelia Nilgherrensis Nyl. in Flora 1869, p. 291, data in Arn. Exs. no. 136 b, thallum habet $K \pm$ et $K(CaCl) \mp$ atque spermatia longiora quam *P. ciliata* DC. (quae his respectibus convenit cum *P. perlata*, et reactionibus et spermatiis, ita ut sit *P. ciliata*, adducta *P. crinita* Ach., subspecies modo *P. perlatae*). In his omnibus observatur medulla $K(CaCl)$ nonnihil erythrinose reagens.

P. digitulata Nyl. Subspecies sit *P. conspersae*, minor, accedens ad var. *hypoclystam* stenophyllum, thallo pro magna parte in laciniolis digitatis brevibus subteretibus diviso. Reactio sicut in *P. Mougeotii*, scilicet K medulla flavente et $K(CaCl)$ nonnihil erythrinice reagent. In Vogesis (Mougeot). Facies quodammodo *Physciae palmulatae* Mich. (*Ph. detonsae* Fr.).

Parmelia verruculifera Nyl. Similis (et quoque reactione conveniens cum *P. fuliginosa*), sed isidio olivaceo tenuiter granulato-verrucoso conglomeratulo, centro plus minusve confluyente, supra trito albescente. Spermatia subbifusiformia minutella, longit. 0,0040—0,0045 millim., crassit. 0,0005 millim. — Sterilis super saxa in Gallia occidentali ad Fougères (Delise) et ad Limoges (Lamy). — In *P. fuliginosa* isidium setuloso-papillosum et spermatia nonnihil majora. — In forsitan ad *P. verruculiferam* pertinente specimine ex Himalaya, isidio tamen magis diffuso et spermogoniis orbato, vidi apothecia sporis longit. 0,010—12 millim., crassit. 0,006—8 millim.

Forsitan stirps *Umbilicariae atropuinosae* distinguenda sit sicut subgenus *Agyrophora* a stirpe *U. pustulatae* praesertim ob texturam corticalem diversam. Observandum autem est differentias thallinas apud Lichenes inferiores in eodem genere maximas obvenire. Atque in genere *Lecidea* gonidia maxime variantia conspicimus (e simplicibus ad varie composita).¹⁾

¹⁾ Notula mea circa gonidia et gonimia data in Flora 1877, no. 23, anglice reddita est a rev. Crombie in Grevillea ejusdem anni. Notandum vero est in translatione illa occurrere errata varia. Sic ibi legitur: „we have made observations“, quod latine scripseram: observamus, et quod significat: observatur vel cuique observare licet, nempe thalli prima initia nascentia et tenerrima, qualia in ipsa natura viva optime facillimeque apparent super saxa quartzosa vel super cortices laeves, visibilia omni observatori res oculis aliquantulum attentis perspicienti. Talia non fugiunt botanistas practicos. In eadem translatione parum fideliter dicitur de *lichenino*: „when stirred in water is dissolved and lost“, ubi dicendum erat, materiam licheninosam longa coctione in

Lecanora laevata (Ach.), *Lecanora farinosa* Flk. et *Lecidea pungens* Krb. propriae species sunt distinctae. Negare hoc possunt solum inexperti et principia in scientia a me stabilita adhibere non valentes.

Lecanora biloculata dici possit *Leightonii* *Lecidea* „*polospora*“ (nomen ineptum). Sit *Lecanora*. Sporae longit. 0,015—18 millim., crassit. 0,008 millim.

Lecidea albocoerulescens var. *alpina* Schaer. est *L. phaeenterodes* Nyl. in Flora 1875, p. 363, facile differens jam hypothecio alio ab omni *L. contigua*.

Ad *Lecideam ternariam* in Flora 1877, p. 232, determinatam animadvertatur, adesse etiam var. 3-septatam comparandam *L. milliariae*, sporis longit. 0,016—22 millim., crassit. 0,005—6 millim., jodo thecis peristenter coerulescentibus. In Gallia (Lamy) et in Hibernia (Larbalestier), illa saxicola, haec muscicola.

Lecidea Gagei (Sm.) Hook. est *L. lenticularis* apotheciis rufescentibus vel pallidis, qualis in Hibernia variis locis lecta (a Gage, Taylor, Larbalestier).

aqua sensim dissolvi et amitti, quod idem valet de lichenohyphis et de parietibus sporarum. — Scriptorem inexpertum loqui vidimus de „hyphis amylo faretis“, quod omnino est ineptum, nam indicaret filamenta cava amylo repleta, quum lichenohyphae ibi respectae nihil continent vel cavitatem subobliteratam habent, sed reipsa materia licheninosa feresola constitutae sunt. Quoad gonidia animadvertatur, inexpertum eundem scriptorem repetere (Th. Fr. Lich. Scand. p. 12) quod facili negotio invenit apud alios, scilicet gonidiorum „membranam acido sulphurico et solutione iodeto-kalico-iodina colorem hyalinum in violaceum vel coerulescentem mutare;“ tamen cuique texturas Lichenum attente examinanti constat, permultis eorum parietem gonidiale etiam iodo solo mox violascentem vel violaceo-rosellum sumere colorem (exempla offerunt: *Lecanora varia*, *anopta*, *Lecidea Cadubriae*, *anoptoides*, *obscura*, etc.). Atque quod adinet ad originem gonidiorum in thallo ipso, notetur adhuc, hocce elementare esse et mox elucere saepissime primo aspectu sectionis thallinae (ut in figuris Nyl. Syn. t. 1, f. 3 et 4; dein in f. 6 gonidia similiter in cellulis inclusa conspiciuntur nec fieri potest ea foris intrare, sed manifeste orta sunt in his cellulis, sicut idem exprimit suo modo cl. Tulasne in Mém. Lich. p. 22: „dans ces cellules s'engendre de la chlorophylle“ de *Endocarpo miniato* Lichene gonidimioso. — Gonidimia hymenialia in pyreniis ante thecas oriri jam in Prodr. Lich. Gall. Alger. p. 179 notavi; ea aliunde adducta fingeri possunt solum erroribus vel inventis schematicis dediti. — Facilem observationem in natura oblatam thallorum nascentium supra memoravi. Addere vero convenit, thallos adesse, qui per totam vitam conservant structuram illam initialem, lichenohyphis praedominantibus hypothallinis vel prothallinis. Exemplum tale optimum sistit genus *Crocynia*.

Lecidea contermina Arn. Thallus obscure cinereus, areolatus vel areolato-granulatus; apothecia subimmarginata (latit. 0,5—0,8 millim.), parum prominula; sporae longit. 0,009—0,010 millim., crassit. 0,005—6 millim., epithecium nigricans, hypothecium dilute rufescens. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens (thecae praesertim tinctae). Supra saxa mica-cea ad Gurgl in Tyroliae alpinis, altit. 6000 pedum (Arnold). — Facies est *L. subbadiae* Anzi, cui sporae majores, hypothecium obscurum etc. Spermatia in *L. contermina* sunt cylindrica, longit. 0,0035 millim., crassit. 0,0007 millim., in sterigmatibus pauci-articulatis. Variant apothecia innata, marginatula. Obiter visa pro *L. tenebrosa* sumi possit.

Lecidea papillata var. *subviridescens* in Norrl. Lapp. p. 340 facile est propria species, thallo lutescente granuloso-concre-scente, saxicola in Lapponia, dicenda *L. perlutescens*. Thallus ei Ca Cl saltem leviter aurantiaco tingitur. Sporae longit. 0,016—23 milim., crassit. 0,007—0,010 millim.. Spermatia oblonga, longit. 0,0030 millim., crassit. 0,0015 millim.

*) Praeparationes microscopicae demonstrantes gonidia formari intra cellulas corticales Lichenum haberi possunt apud *J. Bourgonne Père à Merdrignac Côtes-du-Nord*.

Das Microgonidium.

Von

Dr. Arthur Minks.

(Fortsetzung.)

Der Uebergang von der winzigen Hyphema-Zelle durch alle Stufen bis zur Zelle des Gonohyphema, durch alle Entwicklungsstadien des letzteren bis zum Gonidema und endlich durch alle Bildungszustände des Gonidium bis zum letzten Ende, dem Metrogonidium, ist noch mehr berufen, die anatomische Spaltung des lichenischen Gewebes zu verwischen, als es das blosse genetische Verhältniss zwischen Gonohyphema und Gonidema thun konnte. Dieser Uebergang stellt es aber als eine Thatsache hin, dass das Gewebe des Flechtenkörpers sich aus Modificationen einer Grundzelle zusammensetzt. Die Frage nach dem Zwecke der drei in ihren extremen Gestaltungen sehr unähnlich erscheinenden¹⁾ Modificationen gehört in das gänzlich dunkle Gebiet der Physiologie der Lichenen.

¹⁾ Man sei fortan stets sich der Abhängigkeit im Sehen und Urtheilen von optischen Effekten bewusst!

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1878

Band/Volume: [61](#)

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: [Addenda nova ad lichenographiam europaeam 241-249](#)